

Q. F. F. Q. S.

De

CREPUSCULIS

Dissertatio Mathematica,

Quam

Indultu Amplissimi Collegii Philosophi-
ci in illustri ad Auram Academia,

SUB DIRECTIONE

VIRI Celeberrimi

TORSTANI RUDEEN

P oësios Profess. Ord.

Candido Eruditorum Examini

modestè subjicit

JOHANNES MUUR,

Angerm. Svec.

In Auditorio Max. ad Diem ultim.

Maji, Anni 1698.

ABOÆ, exedit JOHANNES WINTER/
Reg. Typographus.

2. 9. 2
DE
CREPUSCULIS

Dilectio Magisteria

Inde Ambituum Collegei Philosophici
et in huius ad Amum Accademiam

SAB. DABACULAE

MIRI Cyprianus

TORSATNI RUDHEN

P. Ecclies. Tolog. Cig.

Cyprianus Torsatus Ammonius

magis sapientis

JOHANNES MELL

Aegidius, Zwick

W. Torsatus et al. Dux. Lut.

magis sapientis

W. Torsatus et al. Dux. Lut.
magis sapientis

Nobilissimo
rerumque Civilium prudentissimo
Consultissimoque,

DOMINI EQUITAT REI CO OPTIMI
BENEFIC IUSIN,

Territorii Holloensis Superioris,
& Inferioris

JUSTITIA DOMINI CONCILII

Adcuratissimo,

Patrono atque Promotori,
submisso animi zelo ætatem su-
spiciendo, colendo.

SALUTEM & ANNOS!

Biennium est, Patrone benignissime, ex
quo nunquam satis decantando fatorum
benepiacito, in omnium virtutum honore
munita Nobilissimæ dignitatis Tuæ domum
me propitium introduxit fatum. Toto autem
illo tempore vix diem Sol nobis aduxit quo
non maxima in me favoris & benivolentia
documenta sum experius, maxime id gaudens
quod deprehenderim, humilima mea officia
atque submissa obsequia, tanto Domino non
displacuisse, cuius ardorem summum in promo-
vendis bonarum literarum studiis, studium
indefessum in juvando Clientolorum suorum
Commodo, & merita denique in patriam justi-
tiaeque administrationem rectam, tanta sunt,
ut non qui eadem laudibus extollit, assenta-
tor: sed qui silentio involvit Civis omnium in-
gratissimus audire mereatur. Inter felicitatis
vero dona & illud repono, quod Nobilissima
Tua Dignitas non. dignata sit filiolos suos
carissimos, filiolos ad quævis honesta & ma-
gna natos, me & simpliciter informandos com-
mittere, quorum informatio ita mibi curæ fuit
(absit tamen gloria verbis) est, eritque adju-
vante summo illo omnium bonorum moderato-
re, donee vires mibi sufficerit Cœlestis favor,
ut

ut velim, ille ipse, fidelitatis mea sit elim memor.
cum vero in Nobiliss. Tua Dignitate sa-
vi sima coniunctione Consentiant, & natura ad
benefaciendum omnibus prona, & fortuna ad
bene de omnibus merendum potens, Orator sum
a Nobiliss: Tua Dignitate supplex, ut lice-
at obscuro huic & immaturo ingenii mei fæ-
tui Clarissimi Tui favoris radiis non nibil il-
lustrari; illustratur vero cum maxime si da-
rem ipsi fuerit auspiciatissimo Tuo Nomine
insigniri sub cuius tutelâ uterque securi, ma-
tevolentium judicia ridemus. De cœtero
DEUS T. O. M. judiciorum omnium præsi-
dem & judicum custodem ex intimis sensibus
veneror ut Te quam diutissime & felicissime
rebus humanis interesse faciat, ut queas
DEO, REGI, Patriæ & Nobilissimæ denig,
Familiæ quam diutissime prodeesse, id operat atq;
dovet

Nobilissimo Tuo Nomini

humilimus cultor

JOH. MUUR.

In egregiam
DE CREPUSCULIS
Dissertationem,

Viri-Juvenis, Hamanissimi,
Literatissimique,

D^{N.}. JOHANNIS
MUUR.

Amici dilecti,

Ut noctem nescunt astiva Crepuscula nullam,
Sic Tibi per Musas lux sine noe
de venit.

Festinus sed lubens tamen
scribeb.

TORST. RUD EEN.



DEO Duce

MEMBRUM. I.

Continet Evolutionem Nominis.

§. I.



Repuſculorum indo-
lem exposituri, pauca
in antecessum habe-
mus declarāda de no-
mine ipso, ne illotis,
quod, ajunt manibus,
in rem ipsam prius
descendamus, quam de ejus natura certio-
res facti sumus, ut insecura deinceps
tractatio suis partibus ritè absolvatur;
Ita enim creditum hactenus ab eruditis
est, quamlibet concinnam Thematis tra-
ctionem duobus absolvi, doctrina
sc. Proēmiali, quam extraessential-
lem appellant, & essentiali. Hæc
penitus exponenda rei essentiam deli-
neat, nec citra dispendium aut detrunca-
tionem integræ doctrinæ omitti potest.

A

Illa

Illa quod ad primariam contemplationem non requiratur, neglecta, mutilam quidem non reddit objecti sui declaracionem, cæterum dilucidandæ facilitandæq; rei, de qua disquiritur, cum plurimum conferat, sine incommodo lectoris vix insuper habebitur. Quamobrem cum in morem communiter receptum & institutum minime damnandum abierit ista ratio, ut tractationi præmitatur ipsius nominis Epitomatica διάσκεψις, non deerimus convetudini.

§ II.

Crepusculum igitur, quia lux dubia est, originem suam dicit, vel ipso festo teste, ab antiqua voce *Crepērus* h. e. dubius, quod illa pars noctis dubia sit, de qua quæritur, nox ne sit an vero dies? *Creperus* vero ἀνέπινος celer atq; velox descendisse contendit, adversus cardanum Jul. Cæs. Scalig. Exercitat. LXXVIII. quod, quemadmodum incitatus cursus visum & præceps oratio aures fallit, sic crepusculum sive lux illa dubia judicium,

ut incertissimus, sit ne nox an vero dies:
Sed qui a deo repugnantem sibi habet
Josephum Scalig. in notis ad Carmen
Ithyphalicum, ut nihil verosimilius cen-
seat, quam illud ipsum Creperus per di-
minutivum exiisse a Crepus, hoc a. a
 $\kappa\nu\epsilon\varphi\alpha\varsigma$ quod Festus, Pompejus & auctor
Etymologici interpretantur $\sigma\chi\sigma'\Theta\omega$ sive
obscurum, id quod servio patrocinatur in
notis ad L. II. Aeneid. crepusculum idem
credenti quod diluculum; nam $\kappa\nu\epsilon\varphi\alpha\varsigma$
proprie loquendo est $\lambda\upsilon\kappa\delta\varphi\alpha\varsigma$ sive dilucu-
lum, unde Aristophanes $\kappa\nu\epsilon\varphi\alpha\varsigma\Theta\omega$ sapi-
us usurpat pro $\epsilon\omega\vartheta\iota\pi\varsigma$ sive matutinus.
Latini prisci eodem testificante Festo,
ab eodem illo $\kappa\nu\epsilon\varphi\alpha\varsigma$ dixere Cnefokus
sive gnefokus pro obscuro, unde etiam
dictus Scaliger suspicatur apud Maro-
nem in culice legendum esse $cnefosa\varsigma$
 $domos$; nam in veteri membrana est ne-
folasq; non defossasq; quemadmodum
in vulgatis observamus. $\kappa\nu\epsilon\varphi\alpha\varsigma$ vero si-
ve $\kappa\nu\epsilon\varphi\Theta\omega$ unde prodierit, docere co-
natus est Andromachus, vel quisquis au-
tor operis Etymologici sit, utpote a $\kappa\nu\epsilon\varsigma$
quod est vanus, vacuus atq; inanis & $\varphi\alpha\Theta\omega$

cont. **Φῶς** lux, lumen; vel à **νὺ** **στέρε**
λύκω & **Φαῦ**: quid si a. à **νέφος**: nubes
deducamus, ut propriè sit cœlum nubilum
& obscurum? quid si item ab Hebræo
נָבָל furatus est, quod fures ac tenebrio-
nes cœlum cnefosum sive tenebricosum
amant.

§ III.

Porro, migrationem, sub unico semper
nomine de crepusculo hoc, commem-
orationem devitaturi scriptores, nun-
cupatum id variè reliquerunt. Extre-
mum Diei dicitur festo, lux dubia No-
nio, primæ tenebræ Livio, lucis & no-
ctis confinium Ovidio, prima fax noctis
Gellio, & crepusculascens hora Sidonio.
Italis v. Alba audit, quod aër circa
Horizontem tunc albescere iaciens,
qui antea quasi nigris tenebris involu-
tus fuerat. Ex quibus in. haud obsec-
rè patet respectum habuisse Italos ad cre-
pusculum solummodo Matutinum, quod
etiam Servio complacuisse, in superiori-
bus

bus observabamus. Quo minus vero assensum mereatur ista opinio, quantum video, facit Varro; Illi n. vi verbi Creperus, crepusculum est non solummodo Matutinum, quod alias dilucum dicitur, Sed etiam vespertinum propriè sic dictum. Unde etiam Ovidius inquit:

*Qualia subludent fugiente crepuscula Phœbo,
Aut ubi nox abiit, nec samen orta dies,*

Lib. I; Metham. Eleg. v.

§. IV.

Inquisivim⁹ hactenus & expendimus natales atq; genuinam significationem vocis, quod sollicitè ideo nonnihil & curatè factum, ut quod lucis ex ejus notitia accedere rei pertractandæ posset, diligenter quantum fieri potuit investigaretur: Post illam curam deventum est ad descriptionem ipsius argumenti; cumque in ipsa evolutione nominis, stricturæ ac

Quædam qvæsi seminia sparsa sint eorum
quæ in hanc rem dici possunt, non erit u-
tiq; infrugiferum, eam colligere talem:
Crepusculum est lux illa crepera seu dubia,
*ante ortum solis mane & post ejusdem oc-
casum vespere, unde illud Matutinum di-
cimus, hoc vespertinum.* Atq; ista quâ
nomen.

MEMBRUM. II.

Ostendit initium finem & causam utrius-
crepusculi.


§. I

Matutinum incipit, quando sol in cir-
culo verticali, qui per eum transit,
abest ab Horizonte orientali, infra eum
gradibus 18, ita quidem, ut inter solem
& Horizontem interjectus sit arcus di-
cti verticalis octodecim circiter gra-
duum. Vespertinum v. desinit quando
sol totidem gradibus ab Horizonte oc-
cidentali distat, infra eum post occasum de-
mer.

• 8(7)8 •

mersus, dixi circiter 18 gradibus; quia tametsi Astronomi distantiam adsignent communiter 18 graduum, sunt tamen qui paulo majorem, sunt etiam qui minorem statuunt. Quo a. modo illa distantia indaganda sit dicetur infra. Causa a. utriusq; est quod aēr vaporibus, exhalationibus aliisq; variarum rerum effluviis condensatus (qui ob id Atmosphēra appellatur) à sole adhuc infra horizontem existente, illuminatus refringit ejus radios, ac lumen ad nos in terra existente reflectit. Hoc a. primum contingit ante ortum solis, & ultimum post ejusdem occasum, cum is gradibus 18 vel circiter infra horizontem depresso est; Quando n. pluribus gradibus sol ab horizonte distat, illuminat quidem aērem subtiliorem utpote à dictis effluviis liberum eo ipso tamen lumen ad nos non reflectitur quia in eo, ob defectum densitatis non refringitur sed irreflexum, recta versus cœlum progreditur.

Hoc



Hoc ut clarius evadat, sit in apposito scheme ABC, maximus in terra circulus, circulo verticali per sole, sub Horizonte transiunti, concentricus, circa quem sit aliis circulus KLM, includens illam aeris partem, ad quam vapores ascendere possunt. Ponatur quoque visus in A. & horizon sensibilis

lis D E. tangens terram in A. Certum
 utiq; erit oculum in A. constitutum ni-
 hil ex Aere quamvis condensato, infra
 AE cernere posse, propterea quod nul-
 la recta intercipi possit, inter tangentem
 DE & circulum AC. Positis itaq; ra-
 diis solis, terram contingentibus in CF.
 BF. ut conus umbra sit CFB. nihil aëris
 videri poterit ultra E, quia ibi est puri-
 or & à vaporibus liber; neq; citra E.
 etiamsi punctum K. sit in aere densiore
 propter umbram CEB. ad quam solares
 radii non perveniunt. Sed quamprimum
 radii solis terram contingentes, moto so-
 le versus Horizontem, facti fruerint G J,
 H J, quorum G J. per K. interlectionem
 lineæ visus cum extremo circulo aëris
 densioris incidit, incipiet lumen solis,
 ad visum in A. existentem, refringi, ini-
 tiumq; sic fiet crepusculi Matutini, dura-
 bitq; usq; ad ortum solis; coincidente
 radio solari cum recta DE. Sic etiam
 vespertinum crepusculum durabit, quam-
 diu post solis occasum, radius solis terram
 contingens segmentum AK. intersecabit,
 quamprimum a. radius solis cum G J.
 con-


coincidit, instabit ejusdem crepusculi finis. Astronomorum quippe, communis est sententia, tum demum radium solis per K transire, cum gradibus 18 infra Horizontem delitescit, quamvis ut prædixi, quidam plures ponant, quidam etiam pauciores, prout scilicet altiores existunt in aëre vapores aut depressores; Quando n. vapores ultra punctum K. ascendunt clarum est solem longius ab Horizonte abesse in initio crepusculi Matutini & in fine vespertini, quam quando usq; ad K tantum elevantur, proprius v. quando summi vapores punctum K non attingunt.

§. II.

Dixi distantiam illam non esse sibi semper similem, sed nunc majorem nunc minorem, prout scilicet altiores aut depressores existunt in aëre vapores; lubet itaq; heic dispicere quanta sit distantia summorum vaporum à terra, qui aërem condensant. Expedietur autem illud, si ducatur planum per D, centrum solis existentis in initio crepusculi matutini & per centrū terræ H, faciens

ens in cœlo, solis circulum maximum ASC.
 in sole circulum Maximum ABC atq; in
 terra Circulum maximum EFG, circa
 quem describatur arcus circuli MKN,
 summos Vapores includens, sectio Ho-
 rizontis veris sit in OP, Horizontis sensibi-
 lis QR, tangens terram in F, ita ut ar-
 cus PD, intelligatur esse grad. 18, quan-
 tam vulgo ponunt Distantiam solis sub
 Horizonte in inito Crepusculi; nam cum
 semidiameter terræ sit insensibilis ma-
 gitudinis respectu Cœli, punctum R à
 P sensibiliter non differet; ac proinde
 insensibiliter different arcus RD, PD, in-
 ter se. Radius extremus solis tangens
 terram in I, sit C. I. secans Horizontem
 sensibilem, & arcum MKN, in K, ubi
 primum in aëre condensato reflectitur
 solis lumen ad visum in F collocatam.
 Præterea ex H per F recta extendatur H
 FS, quæ perpendicularis erit ad QR. se-
 cundum propos. 18. Eucl. lib 3. ideoq;
 & ad ejus parallelam OP. per ejusdem
 prop. 29. l. i. ac proinde S polus erit Ho-
 rizontis. Ac tandem rectæ jungantur H
 I, HLK, ut summa vaporum elevatio sit

KL, quam sic metiemur. Quoniam re-
ctæ KF, KI, circulum EFG tangunt, se-
cabit recta HK angulum FKI, & quia
angulus HIK rectus est, erunt duo an-



guli FK, trianguli FHK, duobus angulis
IK, trianguli IHK æquales, proptereaq;
& reliqui ad H erunt æquales, per pro-
pos.

pos. 32. l. i. supra laudati Euclid. itaq; si ad rectum angulum SHP grad. 90, adjiciatur angulis DHP, gr. 18 (tantus enim arcus PD communiter statuitur, cum sol est in Crepusculi Matutini initio) & prodibit totus angulus DHS, 108. gr. ex quo Si dematur angulus DHI, 90. gr. 13. m. reliquus erit, angulus FHI, 17. gr. 47. m. ejus semissis FHK 8. gr. 54. m. ferè, eiusque complementum FKH 81, gr. 6. m. si a. HK ponatur sinus totus, tum semidiameter terræ FH (quam Ptolomæus facit milliar. 3579.) erit sinus anguli FHK. quibus positis dico:

ut FH sinus 987. ad HK sinum ita FH, 3579 se. 96 anguli FKH, totum 100000. midiam. ad aliud.

ducatur nunc secundus in tertium & prodibit HK milliar. 3622 $\frac{2}{3}$ propemodum, ex qua subtractâ semidiametro HK milliar 3579, relinquitur KL summa vaporum elevatio milliar. 43 $\frac{2}{3}$ ferè, quod erat faciendum.

Manifestum a. est, si distantia solis à centro terræ ponatur major quam à Ptolomæo statuitur, item si statuatur solis distanci

distantia sub Horizonte in initio crepusculi major aut minor quam 18. gr. ut quidam volunt, inveniri summam elevationem vaporum non milliar. 43. $\frac{3}{5}$ sed vel plurium vel pauciorum. Sed quicquid sit de hac varietate, demonstratio tamen nostra non variabitur.

MEMBR. III.

*Observat modum in vestigandi initium,
finem durationemq; Crepusculorum.*

S. I.


Fit a. illud vel per Globum, vel per calculum. Per globum quidem dupli modo 1. si scire cupis horam qua crepusculum inchoatur aut finitur, ad datum tempus & locum, globum statuas juxta loci latitudinem & solis locum dato tempori congruentem meridiano adjungas, ut & indicem horarum horæ 12 sui cycli. Signato deinceps gradu Ecclipticæ, qui è diametro, solis loco opponitur, volvatur globus, donec idem gradus oppositus soli 18. gradus ab Horizonte attollatur à parte occidenta-

dentali, & index in Cyclo horario monstrabit initium Crepusculi Matutini: Si à parte orientali, vespertini crepusculi finem indicabit, vel 2. sic: Globo rectificato, locum solis ejus diei, quo crepusculum quæris, applica meridiano & simul indicem horarum horæ 12;^{mæ}. Hoc facto volve gradum oppositum loco solis, versus occasum cum quarta altitudinis ita ut sub 18. gradu ipsius quartæ collocetur, tum indice monente, videbis quota hora mane crepusculum incipiat & ejus complementum ad 12. horas erit tempus crepusculi vespertini à quo tempore si dematur tempus semi-diurnum relinquitur quantitas crepusculi.

S. II.

PER calculum v. investigandi Crepusculorum longitudinem seu durationem rationes sunt variæ prout est nempe situs Horizontis sive sphæræ. In sphæra recta Crepusculi duratio sic invenitur: Sit in apposito Schemate, Meridianus A B C D, circa centrum E. Äquatoris Diameter A C diametri duorum parallelorū æqua-

æqualiter ab æquatore distantium FG,
HI, QR, diameter Paralleli magis distan-
tis ab Æquatore. Horizon BD, ejusque
Parallelus crepusculorum KL. sole itaq;
existente in Æquatore erit EV sinus re-
ctus arcus 18. gr. quibus sol sub Hori-
zonte, occultatur in Princípio crepusculi
Matut. aut in fine vespertini, ac proin-
de arcus BK æqualis erit arcui crepusc.
in Æquatore; Ideoq; crepusculum com-
plectitur gr. 18. occultationis solis sub
Horizonte h. e. i. hor. m. 12. Sole vero
in quovis Parallelo existente HI, quoni-
am semidiameter paralleli HN, est sinus



Com-



Complementi declinationis Paralleli; &
NP, sinus crepusculi in eodem Parallelo, scilicet si procedatur:

ut se habet HN, ad NP sinus ita HN sinus to-
fig⁹ complemēti occultationis so tg in parallelo ad
declinationis solis lis sub Horizonte aliud,

prodibit NP, sinus crepusculi in parti-
bus sinus totius in parallelo. Igitur ex
tabula sinuum crepusculum notum erit.
in cancro & capricorno invenitur crepu-
sculum quod maximum est gr. 19. min. 41.
h.e. hor. 1. min. 19. quod erat faciendum.

§. III.)

POrro in sphæra quavis obliqua lon-
gitudo crepusculorum, hoc modo: Sit
meridianus ABCD, circa centrum E,
æquatoris Diamater AC, Paralleli FG bo-
realis quidem in figura priori, australis
vero in posteriori; Axis mundi sit BD,
Horizontis diameter HJ, ejusq; parallelis
crepusculorum KL; eritq; Paralleli FG, alti-
tudo meridiana FH.



ejusq; meridiana depresso J G. demittatur ex F, ad H J, perpendicularis FP, occurrens, producta in Q, cum GQ, ipsi H J, parallela. Erit ergo FP. sinus altitudinis meridianæ, & PQ, depressionis, duxta quoq; NO, ipsi GQ parallela, quoniam v. FG, *juxta prop. 3: l. 3. Eucl.* est sexta bifariam in N, secta quoq; erit F Q, bifariam in O per ejusdem propos. 2 l. 6. Descripto a. ex N, parallelo FZG, in utraq; figura, ductisq; MZ, XY, ad FG, perpendicularibus; ut & V d ad AC, perpendiculari, eritq; Dd in Meridiano arcus crepusculi in Aequatore, & ZY, arcus crepusculi in parallelo. crepusculum, itaq; Dd, in æquatore ita cognosces

ut AR sinus alti. ad RS, sinum ita situs totus studinis æquato. | 18 gr. | AE, ad aliud.

ris, vel compiē. | |

Elevat, poli

productus jamque numerus dabit EV, sinum crepusculi Dd, propterea quod eadem sit proportio inter AR. per prop. 2 l. 6 Eucl. & RS. quæ inter AE & EV. In parallelo a. crepusculum ZY, sic repries. Quoniam est, (per prop. 2. vel

4 l. sexti) ut FO. semissis aggregati ex FP, sinu altitudinis meridianæ, & PQ, sinu meridianæ depressionis, ad fe, rectam compositam ex FP, sinu altitudinis meridianæ Pe, sinu gr. 18. ita sinus totus FN, ad FX. si itaq; siat:

ut semissis aggre	ad aggregatum	ita sinus totus
gati ex sinu alti-	ex sinu altitudi-	ad aliud
tudinis meridia-	nis meridianæ,	
na, & depresso-	& sinu grad. 18.	
nis meridianæ		

gignetur FX, sinus versus arcus FH, compositi ex arcu semidiurno FZ, & arcu crepusculi ZY, ac proinde arcus FY, cognitus erit: ex quo si dematur arcus semidiurnus FZ, notum relinquetur crepusculum ZX. Atq; sic in Horizonte quovis obliquo longitudinem crepusc, indagavimus, quod erat faciendum. Ubi simul obiter notamus. ex sinu verso, haud difficulter arcū ei debitum erui posse, ut ex canone sinuum docemur, hac ratione: quando sinusversus major est sinus toto v. g. 184493. relicta prima figura ad sinistram primam i. quæ sinui toti

100000 æquivalet, sumatur reliqui sinus
 .84493. arcus grad. 57. min. 40. hic enim
 adjectus ad quadrantem conficiet arcum
 quæsitum grad. 147 min. 40. Quando
 sinus versus minor est sinu toto ,
 demto eo ex sinu toto, accipiatur reli-
 qui sinus arcus ; hic n. sublatu\$ ex qua-
 drante reliquum facit arcum , qui quæri-
 tur. ut si sinus versus sit v. g. 79104, dem-
 to hoc ex sinu toto 100000 reliquis fit
 sinus' 26896. cuius arcus gr. 12 min. 4.
 detractus ex quadrante gr. 90. relinqvit
 arcum grad. 77 min. 56 sinus verso re-
 spondentem.

§. IV.

DAtâ sic , pro debiliori virium robo-
 re, crepusculi longitudine, commo-
 dum progredimur ad distantiam loris sub
 Horizonte eliciendam, ceu § 1. Membt. II.
 promisimus. Quoniam vero occultatio so-
 lis sub Horizonte in initio crepusculi Ma-
 tutini , aut in fine Vespertini non eadem
 ab omnibus scriptoribus constituitur; cum
 nos eam determinemus grad. 18, alii ve-
 ro aliquanto majorem ponant, alii mi-
 morem, illam quidem 30 grad. quales
 sunt

sunt, qui sub polo arctico habitant, si Joanni de sacrobosco fides, hanc vero 6. grad. 2. min. quod an verum sit aliorum esto judicium. Operæ ergo pretium fuerit, ut quilibet, ubi nactus fuerit Horizontem liberum & expeditum, cœlumque terrenum observet, ex edito aliquo loco finem crepusculi vespertini, atq; ex ejus, deinceps summa diligentia explorata longitudine (quemadmodum in superioribus tradidimus) hanc ipsam distantiam ab Horizonte cognoscat, quod fit si repetatur fig. § III. Membr. IV. In qua ita se habet FN, sinus totus ad EX, sinum versus arcus FY, conflati ex arca semidiurno FZ, & arcu crepusculi ZY, dati (qui arcus cognitus erit, si data longitudine crepusculi ad arcum semidiurnum adiicietur; ex quo ejus sinus versus elicendus erit, ut in sinibus) ut FO, semissis aggregati ex sinu altitudinis meridianæ, ac sinu meridianæ depressionis ad fe, rectam ex sinu altitudinis meridianæ, & sinu occultationis solis compositam. Quocirca si procedatur iuxta calculum:

ut: sinus totus ad sinum versus ita semissis aggre-
 arcu conflati ex gatis ex sinu alti-
 arcu semidurno tud. meridianæ
 & arcu crepusc. & depress. merid.
 sculi: ad alind.

procreabitur recta f. c. composita ex sinu
 meridianæ altitudinis & sinu occultatio-
 nis solis meridianæ FP, reliquus erit sinus
 Pe, occultationis: ac proinde arcus ei
 debitus ex tabula sinuum erutus notus
 fiet, arcus videlicet, arcus occultationis
 solis sub Horizonte in principio cre-
 pusculi matutini vel fine vespertini. Ex
 data Ergo crepusculi longitudine, mo-
 dum quo distantia solis ab Horizonte e-
 licienda sit docuimus. quod erat faci-
 endum.

§. V

Sed quia semel atq; iterum in mentio-
 nem altitudinis & depressionis meri-
 dianæ incidimus non videbitur utiq; à
 re proposita sejunctum, si & in earum
 explorandi modum paucis descendantius

Atque illa quidem habebitur, si sole in signis borealibus existente, addatur sua declinatio altitudini Äquatoris seu compl. Elevat. Poli, eodem vero signa australia peragrante, dematur ejus declinatio ab altitudine Äquatoris. Numerus ex illa additione compositus vel ex hac subtractione relictus dabit altitudinem meridianam quæ sitat. sic existente sole in principio cancri si ejus declinatio quæ continet gr. 23. 30. m. addatur complem. altitudin. Poli, sive elevationi Äquatoris hic Aboꝝ, quæ grad complectitur 28 gr. 47, conficietur altitudo meridiana 52 grad. 17. m. sole vero in principio capricorni existente, si ejus declinatio 23. gr. 30 m. ab altitudine Äquatoris h.e. complem. altitudinis poli utpote 28 gr. 47 detrahatur, reliqua erit altitudo meridiana 5 grad. 17 m. ubi tamen obiter nota, quod si in signis borealibus, ex additione declinationis ad elevationem Äquatoris major numerus quam 90 gr. conflatur, tum subtrahendus est num. conflatus ex semicirculo nempe 180 gr.

Quan-

Quando a. Complem. elevat. poli, minus est declinatione parallelis borealis extabit parallelus totus supra Horizontem, habebitq; duas altitudines meridianas, australem unam, quæ major, & septentrionalem alteram quæ minor est, Prior invenitur juxta regulam supra datum, Posterior a. si complem. altitud. poli ex declinatione dematur.

Hæc vero: si in signis borealibus detrahatur declinatio Paralelli propositi, ex complem. altitud. Poli, in signis a. australibus eadem declinatio addatur ad Complem. altitud. poli Numerus ex illa subtractione relictus vel ex hac additione conflatus dabit depressionem solis meridianam.

MEMBRUM IV.

Eruit Causam præcipuam Variæ durationis Crepusculorum, Variis temporibus variisque locis.

§. I.

Bs

Cer-

C^tertum est, variam esse crepusculo-
 rum durationem non solum in lo-
 cis diversis, sed etiam eodem, pro
 temporum varietate. Causa præcipua,
 non tam Physica, quam Astronomica,
 est rectitudo aut obliquitas ad scensionis
 ac descensionis solis, hæc autem ex situ
 Horizontis seu sphæræ, recto nimurum,
 obliquo & parallelo. In sphæra enim
 recta toto anno, & in sphæra obliqua
 diebus æquinoctialibus; quia sol ascendit
 & descendit recte, brevissimum est Cre-
 pusculum. At in sphæra obliqua longius
 est, & eo longius, quo obliquior est Hori-
 zon, seu quo major est altitudo poli. In
 eadem a. altitudine poli, eo est longius,
 quo longius fere sol ab Æquatore decli-
 nat ad tropicos; & adhuc longius, si
 declinatio sit versus polum mundi con-
 spicuum. In Parallelæ deniq; sphæra
 continuum est non septimanarum solum
 sed mensium aliquot Crepusculum.

§. II.

ET tantum ad expositionem præsentis
materiæ in se non minus multis tri-
cis & difficultatibus obnoxia quam no-
bilis & scitu maxime necessariæ. Me v.^{ps}
tenuitatis propriæ consciū, hac qua-
licunque opera omnem circa prælens
negotium sustulisse scrupulum, tantum
abest ut confidam; ut potius, præsentis
futuriq; temporis, subactioribus inge-
niis, occasiōni essem & incitamen-
to, intimius in harum subtilitatū
scrutinium descendere, cum viderint
quam non limate hæc à nobis profecta
sint. Ut a. plenius extet hoc extremum,
Membr. coronidis loco visum erat, quas-
dam subnectere propositiones, quarum
operosa demonstratione heic tanto fa-
cilius abstinemus, quanto & instituti ra-
tio id moneat, & nobis alioquin ex lo-
co publico ansa dabitur, easdem lucu-
lentius explicandi, sunt a. illæ:

I. Sole peragrante illa puncta, aqua-
lem, quæ ab alterutro solstitiorum, ha-
bent distantiam, crepuscula fiunt aqua-
lia non

lia non tantum sub Aequatore habitantibus, sed etiam versus septentrionem & austrum.

II. Sol vero existens in illis Ecclipticæ punctis, quæ ab alterutro æquinoctio æqualiter distant, crepuscula quidem facit æqualia sub æquatore habitantibus, inæqualia vero reliquis terræ incolis, majora sc. in signis vergentibus ad polum Conspicuum, minora in reliquis.

III. Quamvis in regione ad boream spectante majora contingent crepuscula sole percurrente signa Zodiaci borealia, & maxima, si parallelum Crepusculum, attingit, sub initium Canceris, minora v. eodem descendente ad signa australia, non tamen ideo minima fiunt in primo gradu Capricorni, sed in punto aliquo intermedio.

IV. Ubicunque sol existat, longiora fiunt crepuscula in locis magis borealibus, quam minus borealibus dummodo parallelus solis fecet tam Horizontem quam crepusculorum parallelum.

V. Sole obtinente puncta Ecclipticæ æquali-

æqualiter utrinque ab alterutro punctorum æquinoctialium, remota, habitantibus sub æquatore i.e. sphæra recta, crepuscula fiunt æqualia. Sed sole occupante duo puncta inæqualiter ab alterutro punctorum æquinoctialium distanta, crepuscula fiunt inæqualia, majus quidam in punto remotiori, minus a in propinquiori: Adeo ut in tropicis longissima sint Crepuscula, in punctis v. æquinoctialibus brevissima.

SOLI DEO GLORIA.



VIRO Juveni

Eruditione non minus quam sinceritate conspicuo

Dn. JOHANNI MUUR,


Angerm.

Amico conjunctissimo,

Dissertationem suam Mathematicam

De CREPUSCULIS

mascule defensanti,



Andis dum tenet perfusa crepuscula nocte,

Exemplar JANNES MUUR
speciesq; chorii

Maonii, nunquam metuet Tua fama te-
nebras,

Quis Lethe ignavos atterit usque.
Vale!

In procin&u itineris fe-
stinus reliquit

DAN. STECKSENIUS.

Ingenio, assiduâque Musarum
cultura.

Commendatissime.

Dn. JOHANNES MUUR,

Fator & amice integerrime.



Llustrat dubiam Tua
dum solertia
noctem,

Ingenii prodis splendida
dona Tui.

Festinanti calamo affe-
ctu a. dnaturo Tibi
applausit

OLAUS SUND
West Bothn.

E I D E M.

N Oscitur Aonidum quanta hec sis-
portio MUUR dum
Pervigil insnuas tempora somnife-
ra.

ISRAEL STECKSENIUS.

Domino Auctori.

Qui Soliti juvenes Musis se dedere
blandis,
Inclata sublimi gaudia mente sibi
Captantes (vanis sejunctis) flore juventa,
Dissociando probrum, consociant deco-
ra:
Fenore nec referunt non oblectamina lar-
go,
Nescia qua cadier: despiciunt nocua.
Ingenuam retegitq; viam tenuisse suada
Gnaviter Auctorem: Sic celerasse gra-
dum,
Morpheus ut properos gressus non fixerit
unquam:
DComspicuus, frugi cernitur omnibus binc.
Gratulor en tenui calamo tua sic ego ca-
pta,
• Insuper ut, voveo, præmia larga habeas.
Votivum carmen qualecunque
occupatissimus subiecit

JOHANNES STECKSENILIS.